Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/eduardicorsinicl00cors_0

EDVARDI CORSINI

CLER. REGVL. SCHOLARVM PIARVM
ET IN ACADEMIA PISANA
HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSORIS

AD CLARISSIMVM VIRVM


PAVLVM M. PACIAVDIVM

EPISTOLA

IN QVA

GOTARZIS PARTHIAE REGIS

NVMMVS HACTENVS INEDITVS EXPLICATVR
ET PLVRA PARTHICAE HISTORIAE CAPITA
ILLVSTRANTVR.



ROMAE MDCCLVII.
IN TYPOGRAPHIO PALLADIS

EXCVDEBANT NICOLAVS, ET MARCVS PALEARINI
PRÆSIDVM FACVLTATE.

CLARISSIMO VIRO

PAVLO MARIAE PACIAVDIO

CLERICO REGVLARI

ET HIEROSOL. ORDINIS HISTORICO.

EDVARDVS CORSINVS.

DE eximio Gotarzis nummo nunc tecum, Paciaudi doctiſſime, loquuturus illud ingenue vereque praefari poſſe me video, quod optime olim, ſapienterque a Poeta dictum accepimus, maximam aliquando hiſtoriam de minimo oriri conſueviſſe. Etenim, cum forte fortuna tribus ab hinc annis ectypa quaedam nummi imago mihi a Cl. Venuto oſtenſa fuiſſet, in qua veteris, atque hactenus incogniti Regis vultus, ſimulque aera quaedam inſcripta conſpiciebatur, initio quidem doctiſſimi, atque amiciſſimi Viri hortatu regis alicujus nomen in Scriptoribus inquirendum ſuſcepi, cui nummus ille congrueret, & epocha quoque nummo inſculpta commode adſcribi poſſet. Itaque, cum in nummo *Minniſari regis* nomen legendum videretur, atque in Dione *Maniſari* cujuſdam nomen occurreret, qui Trajani Caeſaris aetate in aliqua Armeniae, ac Meſopotamiae parte imperavit, Minniſari nummum huic ipſi Dionis *Maniſaro* adſcribendum putavi, atque aeram ipſi inſcriptam Parthicam eſſe conjeci. Quandoquidem vero annorum numerus nummo inſcriptus cum Trajani Caeſaris aetate, vel Dionis hiſtoria componi non poterat, niſi Parthicae aerae cardo, qui a pleriſque Scriptoribus anno V. C. 498., vel 504., vel 506. adſcribitur, in annum ab V. C. 525. transferretur, maxima rerum affinitas, atque conjunctio me ſenſim abripuit, ut de ipſo quoque aerae cardine, Parthicique imperii initio diſputarem; atque rejecta veteri Chronologorum ſententia novam hanc Arſacidarum epocham a me conſtitutam aſſererem. Quum autem edita jam Diſſertatione, qua utrumque ſententiae meae caput non modo plurimis veterum Scriptorum teſtimoniis, ſed ipſo quoque nummorum praeſidio confirmare ſtudui, Cl. Froelichius plurima Du-

bia propoſuiſſet, ne haec Sparta, quam ornandam ſuſceperam, modo indecora, plurimiſque naevis vitioſa Eruditorum oculis obverſaretur, ejuſmodi Dubiis altera Diſſertatione, quae nuperrime prodiit, ita reſpondendum putavi, ut iis, quae jam dixeram, novus, ac uberior veritatis ſplendor accederet.

Interim vero dum rationibus, ac Dubiis omnibus, quae ſubtiliter, ac ingenioſe contra Minniſari Armeniae regis nummum a me publicatum, ac novam Arſacidarum epocham a me conſtitutam Cl. Froelichius propoſuit, diluendis incumberem, novi alterius operis, novaeque Diſſertationis occaſio repente oblata fuit. Quum enim ſingulos Arſacidarum nummos, qui hactenus prodierant, diligentius inſpiciendos, atque inter ſe ſe conferendos eſſe putarem, illud in conferendis ejuſmodi nummis mirari ſubiit quod, cum hactenus quinquaginta fere Arſacidarum, vel Parthicorum regum nummi publicam lucem adſpexerint, in omnibus fere non privatum, ac peculiare nomen illud occurrat, quo regum ipſorum quilibet ab alio diſtinguebatur; ſed ſolum *Arſacis* nomen habeatur, quod ſingulis Parthiae regibus commune fuerat; ſi ſolum tamen *Vologeſis* nomen excipias. Etenim in Vologeſis I. nummo ſcriptum legitur [1] ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ; in quatuor ex ſex Vologeſis III., vel, ut ipſe rectius exiſtimo, Vologeſis IV. nummis exaratum conſpicitur [2] ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ, in duobus aliis [3] ΑΡCΑΚΟΥ ΒΟΛΑΓΑCΟΥ; ideoque in ſingulis *Vologeſum* nummis proprium ipſorum nomen exprimitur. Undenam vero varietas illa, ſive diſcrimen effluxit? Num fortuito ſolum, ſoloque artificis arbitrio factum putabimus ut nuliibi *Tiridatis*, *Phraatis*, *Mithridatis*, *Choſrois*, aliorumque illuſtrium Parthiae regum nomen occurrat, perinde quaſi ſolum *Vologeſis* nomen nummis inſcribi meruerit; aut potius peculiaris quaedam cauſſa interceſſit, cur Vologeſi ſolum id honoris contigerit, quam in tanta rerum obſcuritate ignorare nunc cogimur? Dum mihi haec ambiguitas, aut conjectura animo obverſaretur, forte humaniſſimus, ac veterum numiſmatum peritia mire exornatus Cl. Barthelemy me convenit, ſibique Parthicum nummum comparatum fuiſſe nunciavit, in quo *Gotarzis* Parthiae regis nomen perſpicue legeretur. Dici vix poteſt, Paciaudi doctiſſime, qua voluptate me nuncius iſte perfuderit. Etenim primum perſpicuo hoc exemplo conſtabat Parthicos etiam reges alios nomen ſuum nummis inſcripſiſſe; deinde vero ſpes aliqua mihi ſubo-

1 *Vaill. pag. 293.* 2 *Idem p. 364. & Annal. Arſac. p. 28.* 3 *Idem p. 366.*

ſuboriebatur ut characteres aliqui, numerales notae, vel epocha eximio huic, ac prorſus ſingulari Gotarzis nummo inſcripta foret, quae controverſiam omnem inter Cl. Froelichium, meque excitatam dirimeret. Cum enim Gotarzis regnum breviſſimum fuerit, atque inter annos V. C. 799., & 804. collocari debeat, ſi in Gotarzis nummo annus aliquis in Arſacidarum epocha numeratus occurreret, perſpicue certoque deprehendi jam poterat an epochae initium ab anno V. C. 498. cum Vaillantio, ſive 506. cum Froelichio, ſive potius 525. mecum ducendum eſſet. At ubi nummum inſpexi, ſpes omnis, quae pridem affulſerat, prorſus evanuit, cum in ipſo nulla prorſus epocha, nulluſque temporis character exaratus eſſet; ſed ſolum *Gotarzis*, ejuſque patris *Artabani* nomen occurreret. Itaque id unum mihi relictum putavi ut nummum ipſum hactenus ineditum Eruditorum oculis exhiberem, & quidquid ipſi illuſtrando, explicandoque conferre fortaſſe poteram, accurate proponerem. Quandoquidem tamen voces aliquae in ipſo extritae, aliae perperam expreſſae, aliae temere diſpoſitae videbantur, ut nullus fere commodus ſenſus exſculpi poſſet, explicandi nummi conſilium ſemel, iterumque abjeci, eamque laudem, quam ſperare certe vix poteram, acutioribus aliis relinquendam putavi. Quum tamen pro veteri in me benevolentia, atque humanitate aliquid a me praeſtari poſſe cenſeres, mihique cunctanti ſtimulos adderes, iterum de Gotarze, de ejus nummo, de Arſacidarum hiſtoria cogitavi, eamque demum Diſſertationem contexui, quae, niſi feliciter nummum ipſum exponat, Parthicae tamen hiſtoriae, niſi mea me fallit opinio, opportune illuſtrandae, variiſque tum veterum, tum recentiorum Scriptorum erroribus corrigendis conferre poterit.

Atque, ut ab ipſa nummi deſcriptione, ut fieri ſolet, exordiar, in antica nummi parte barbatus quidem, ſed juvenilis tamen, regis vultus apparet ita frontem latiori diademate revinctus, ut ſupra diadema ipſum aut capillorum cincinni, aut diadematis taeniae quandam veluti coronae ſpeciem exhibeant. Quamvis autem inter Arſacidarum nummos nullus accurate ſimilis huic occurrat, Vaillantius tamen, ubi Phraatis V., ſive Arſacis XVI. nummum, qui ipſi deerat [1], ex ingenio confinxit, hunc fere Gotarzis noſtri nummum, ejuſque ornatum expreſſiſſe videtur; cum in ipſo & diadema latius quatuor veluti faſciis compoſitum, & fimbrias poſt occiput revinctas, & capillos ſuperne in pilei modum diſpoſitos expreſſerit.

[1] Pag. 186.

In averſa vero, nobiliorique nummi noſtri facie rex ſedens, arcumque manu tenens, ut in pleriſque Parthicis nummis, conſpicitur; quod reges illi arcum, ſceptri inſtar, oſtentarent, ut proinde Phraates IV. Antonii Legatos *aurea ſella ſedens, ac nervum arcus pulſans* exceperit [1]. Hic tamen, ob nummum in ea parte exeſum, altera arcus extremitas, vel cornu prorſus evanuit. Characteres autem nummo inſcriptos partim exeſos, partim ruditer, ac perperam efformatos eſſe conſpicimus, quod in Parthicis ſane nummis mirari non poſſumus, qui peſſimi commatis eſſe ſolent, pluribuſque erroribus inquinantur. Sic in unico Vologeſis II. nummo apud Vaillantium [2] legitur ΑΡΣΑΝΟΥ, ΕΥΙΡΓΙΤΟΥ, ΛΙΚΑΙΟΥ, ΦΙΛΕΛΛΗΧΟΣ, quatuor nimirum errores in unica epigraphe occurrunt; longeque gravius in aliis in vocum ordine, vel ſitu peccatum conſpicitur, ut alicubi

ΑΡCΑΚΟΥ [3] alibi ΔΙΚΑΙΟΥ [4]
ƸʎONVΦIПƎ ƎʎƎdꓶƎꓕOʎ

alibi [5] ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ
ƎʎƎdꓶƎꓕOʎ

variato verſuum ſitu, ſimulque inverſo litterarum ordine ſcriptum legatur, & integra epigraphe ita quadrata veluti forma diſponitur, ut voces temere disjectae ſint; & [6] ΒΑΣΙΛΕΩC ſupra regis caput, ΑΡΣΑΚΟΥ poſt tergum exaratum ſit, ideoque voces, quae nativa ſerie ſibi ſuccedere deberent, in disjectis areae partibus reperiantur. Itaque mirari plane non liceat ſi haec ipſa vocum perturbatio in hoc etiam Gotarzis nummo nobis occurrat.

Hinc facile pro ΒΑCΛΙΕ, quod in nummo noſtro litteris temere tranſpoſitis effictum fuit, legendum erit ΒΑCΙΛΕυς; in inferiori nummi parte pro KC legendum erit KE pro KAI, quemadmodum certe ſaepius error ille in marmoribus obſervatur, ut alibi [7] oſtendi, atque etiam in quodam Laodicenſium nummo reperitur ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΕ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. His ita ſuppletis, ac rite reſtitutis, integram nummi epigraphem ita legendam eſſe ſuſpicabar ΒΑCΙΛΕΥC ΑΡCΑΚΗC ΓΟΤΕΡΖΗC ΘΕΟC, ſive, cum iis temporibus Cotys in Armenia minori regnaret [8], ΒΑCΙΛΕΥC ΑΡCΑΚΗC ΓΟΤΕΡΖΗC ΚΟΤΥΟC. Sed, quum ejuſmodi conjecturae partim hiſtoriae, partim reliquis epigraphes vocibus, ſive con-

1 *Dio Libr.* XLIX. *p.* 408.
2 *Pag.* 347.
3 *Geſn. Tab.* 1. *n.* 8.
4 *Num.* 15.
5 *Num.* 16.
6 *Num.* 9. & 14.
7 *Notae Graec. p.* 36.
8 *Tac. Annal.* VI.

contextui repugnarent, ita tandem ſupplendum, ac legendum conjeci ΒΑCΙΛΕΥC ΓΟΤΕΡΖΗC ΑΡσακυ ΥΙΟC ΚΑΙ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟC ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ; ſive, ſi libeat, ΚΑΙ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥ ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ. Quicumque ſane epigraphem hanc cum ceteris Parthicis nummis contulerit, facile mirari, ac obſervare poterit ipſam a ceteris omnibus abhorrere. Siquidem in aliis omnibus poſt ΒΑCΙΛΕΩΣ ΑΡCΑΚΟΥ nomen plura epitheta *magni*, *juſti*, *illuſtris*, *benefici*, *Graecorum amantis &c.* reperiuntur, hic vero titulis illis omnino praetermiſſis ſolum *Gotarzis*, ejuſque patris *Artabani* nomen exprimitur.

Quid vero ſi non unicum, ſed duplex potius patris nomen, ideoque non unicum, ſed duplicem potius Gotarzis patrem in nummo expreſſum, vel indicatum eſſe nunc dixerim? Certe, ſi legatur ΚΑΛΟΥΜΕΝΟC, Gotarzes ipſe ſe *Ar*... quidem filium fuiſſe, ſed *Artabani* tamen vocatum eſſe teſtabitur, ideoque ſe duplicis patris filium innuere videbitur: perinde quaſi natura quidem AR..., adoptione vero, vel publica opinione *Artabani* filius diceretur; quemadmodum in eximio marmore apud Maffejum legitur [1] ΜΟΣΧΙΩΝ ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ Ο ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΣ ΣΑΡΑΠΙΩΝ, & ΣΑΡΑΠΙΩΝ Ο ΦΥΣΕΙ ΠΥΘΙΩΝΟΣ. Sin vero ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥ legendum eſſe quis velit, duplex ſaltem patris nomen exprimeretur: perinde quaſi Gotarzes aſſereret ſe *Ar*... filium eſſe, qui tamen alio nomine *Artabanus* vocaretur. Itaque, niſi plurimum fallor, ut ex epigraphe ſenſus aliquis exſculpi poſſit, aut duplex Gotarzis pater, aut certe duplex patris nomen admitti debet.

Ac proclive quidem, ac veriſimillimum videretur hic ΑΡCΑΚΟΥ legendum eſſe, cum *Arſacis* nomen ſingulis Parthiae regibus commune foret: perinde quaſi diceretur Gotarzem ejus regis filium fuiſſe, qui aliorum inſtar, communi quidem nomine *Arſaces*, proprio vero diſtinctoque nomine *Artabanus* vocabatur; quemadmodum in Vologeſis nummis, ut ſuperius obſervavi, aliquando ΑΡCΑΚΟΥ, aliquando ΑΡCΑΚΟΥ ΒΟΛΑΓΑCΟΥ nomina occurrunt, quorum illud commune, hoc peculiare eſſe debuit.

Quis tamen exiſtimet in noſtro nummo diligenter adeo indicari debuiſſe quod Gotarzis pater *Arſaces* vocabatur, cum omnibus perſpectiſſimum foret ſingulos Parthorum reges *Arſaces* appellari, & eadem ratione Gotarzes ipſe *Arſaces* appellaretur? Cur *Arſacis* nomen Gotarzes non ſibi, ſed patri ſolum, conceſſiſſet? Cur

1 *Muſ. Veron. pag.* 30. 31.

Cur brevius, & concinnius dici non poterat ΒΑCΙΛΕΥC ΓΟΤΕΡΖΗC ΑΡCΑΚΟΥ ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ? Cur Arſacis nomen hic efferatur, cum Artabanus *Arſacida* non foret, ſed materna ſolum origine ad Arſacidas ipſos ſpectaret?

Haec, aliaque id genus, quae proferri facile poſſent, me cunctantem, ac invitum pene impulere ut in hoc eximio Gotarzis nummo litteram B ſive initio verſus, ante characteres AP, ſive in finitimi verſus fine poſt vocem ΒΑCΙΛΕΥC extritam eſſe cenſerem, ſicuti A prima littera vocis ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ non in eodem cum ceteris verſu, ſed in contigui verſus fine exarata fuit; ideoque non ΑΡσακȣ, ſed βΑΡδανȣ, legendum, non *Arſacis*, ſed *Bardanis* nomen exaratum eſſe conjicerem, adeoque Gotarzis patrem tum *Bardanis*, tum *Artabani* nomine vocatum eſſe putarem; quo plane fieret tunc epigraphem ita nitidam, atque accuratam eſſe oportere

ΒΑCΙΛΕΥC ΓΟΤΕΡΖΗC ΒΑΡΔΑΝΟΥ ΥΙΟC
ΚΑΙ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥ ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ

Liberius hoc quidem, ingenue, libenterque fateor, & propemodum audax conjecturae genus; ſed illud tamen, quod exemplis aliis, quod maxima veri ſpecie, quod veterum Scriptorum teſtimonio ſuaderi facile poſſit.

Vt autem id clariori, quo poterit, ordine, ac ratione oſtendatur, juverit Gotarzis, Bardanis, & Artabani regum hiſtoriam breviſſime ex Tacito, aliiſque Scriptoribus delibare, ut iis opportuna lux affundatur, & varii tum veterum, tum recentiorum errores demonſtrentur, atque opportune corrigantur.

Aſſerit Tacitus quod Mithridates, qui pridem Armenis imperitaverat, & a Cajo Caligula Caeſare Romam vocatus erat, Tiberii Claudii, qui Cajo ſucceſſit, hortatu in Armeniam rediit, ut Pharaſmanis Iberorum regis, fratriſque ſui praeſidio regnum recuperaret. Ferebatur enim Parthos diſſidere, qui Gotarzis ſaevitia offenſi Bardanem accivere, a quo Gotarzes expulſus, ac regno privatus fuit. Itaque Mithridates harum diſcordiarum tempore Armeniam occupavit. Quum vero Gotarzes a Bardane pulſus copias contraxiſſet, Parthique imperatores in eo forent ut manus confererent, cognitis popularium inſidiis, quas Gotarzes fratri patefecerat, pacem, ac foedera ſanxerunt, ac Bardanem retinendo regno potiorem exiſtimarunt; qui Seleucia urbe, & praefecturis aliis recuperatis, Armeniam quoque ipſam facile recuperaſſet, niſi a Vibio Marſo Syriae Legato prohibitus fuiſſet. Quum tamen

tamen Gotarzes poenitentia conceſſi regni impulſus iterum praelium inſtruxiſſet, a Bardane ſuperatus fuit; ſed mox Bardane ipſo ſuorum inſidiis ſublato Gotarzes iterum Parthiae regnum obtinuit.

Hac Taciti hiſtoria, vel teſtimonio fretus Vaillantius temporum, rerumque ſeriem ita diſpoſuit, ut, licet Artabanus Parthiae rex moriens anno V. C. 797. regnum non Gotarzi filiorum maximo, ſed Bardani teſtamento reliquerit [1], Parthi tamen Gotarzi regnum conceſſerint, eoque pulſo Bardani imperium eodem anno 797. detulerint. Armeniam a Mithridate anno V. C. 798. occupatam aſſerit Vaillantius, regnumque a Parthiae imperatoribus Bardani veluti potiori confirmatum [2] Bardanem ipſum *ineunte vix anno V. C. 798. a Vibio Marſo Syriae Legato* prohibitum ſcribit ne Armeniam recuperaret [3]; Gotarzem anno V. C. 801. a Bardane victum, eodemque anno Bardane a ſuis *primam intra juventam* occiſo Gotarzem iterum regno potitum ait, quod ille anno V. C. 804. moriens Vononi [4] per menſes aliquot ante Vologeſem I. regnaturo reliquit. Itaque ex Vaillantii calculo Bardanes cum tres integros annos regnaſſet, ineunte quarto ſublatus fuit; Gotarzes vero initio quidem annum integrum, mox autem quatuor annos alios imperavit.

Plurima tamen ſunt, quae in hoc Vaillantii calculo [5], ſive potius in Taciti hiſtoria, perperam expreſſa, ſive diſpoſita ſunt, ideoque temporum, rerumque ſeries ab utroque contexta perſpicue refelli debet. Etenim, ſi Artabano patri defuncto Gotarzes anno V. C. 797. ſucceſſit, ac integrum annum imperavit antequam Bardanes a Parthis accitus ipſum expelleret, quî fieri potuit ut eodem anno 797. fraternae diſcordiae exoriri, Romam nuntiari, Mithridates illis permotus Roma diſcedere, in Orientem appellere, Armeniam occupare, atque *ineunte vix anno V. C.* 798. Bardanes a Vibio Marſo prohiberi potuerit ne Armeniam ipſam Mithridati eriperet? Accedit etiam quod anno V. C. 798. Vibius Marſus, Joſepho teſte [6], jam ex Syria diſceſſerat, & C. Caſſius Longinus ipſius ſucceſſor anno 797. in Syriam appulerat, ut ex Antiochenorum nummo Caſſii nomine, & epocha 94. inſigni demonſtravit Noriſius [7]. Haec, aliaque plura, quae facile afferri poſſent, perſpicue oſtendunt temporum illorum, rerumque ſeriem a Tacito mire perturbatam fuiſſe, ideoque veram hiſtoriam aliis ex fontibus repetendam eſſe.

1 *Pag.* 224.
2 *Pag.* 226.
3 *Pag.* 230.
4 *Pag.* 240.
5 *Pag.* 233., & 240.
6 *Antiqu. Lib. XX.*
7 *De Epoch. Syro-mac. Diſs. III. c.* 4.

Itaque ſic ſtatuo Mithridatem iterum primo Claudii anno, nimirum V. C. 794. ad recuperandum Armeniae regnum a Caeſare miſſum eſſe, quod perſpicue diſerteque a Dione [1] teſtatum invenio, qui pleraque a Cajo Caligula jampridem facta a novo Caeſare Claudio perhumaniter reſciſſa fuiſſe ſcribit; ideoque facile Mithridatis reditus non fraternis, aut civilibus Parthorum diſcordiis, ut volebat Tacitus, ſed Claudii Caeſaris humanitati adſcribendus erit. Sed, quamvis etiam civilibus Parthorum diſcordiis reditus ille adſcribatur, perperam tamen id ad fraterna Gotarzis, & Bardanis diſſidia referetur, quae longe ſerius exarſere. Ad extrema potius Artabani tempora hoc referendum videretur, quibus Artabanus ipſe a rebellibus ſubditis exagitatus ad Izatem Adiabenes regem confugit [2], a quo perhumaniter exceptus, priſtinaeque dignitati in Cinnami locum, quem Parthi rebelles elegerant, reſtitutus fuit. Cumque Artabanus ipſe beneficii memor Izati Niſibim Armeniae urbem donaverit, perſpicue apparet hoc Artabani infortunium ante annum V. C. 795., ſive occupatam a Mithridate Armeniam contigiſſe: quemadmodum conſtat Artabanum ipſum ad Claudii Tiberii tempora, hoc eſt annum V. C. 795., perveniſſe, ut Izates fratres, ac filios ſuos partim ad Claudium, partim ad Artabanum ipſum obſides utrobique futuros mittere potuerit. Artabanus tamen eidem anno 795. ſuperſtes eſſe non potuit. Siquidem Tacitus aſſerit Seleuciam urbem a Bardane *ſeptimo* demum anno recuperatam fuiſſe, poſtquam ab Artabano Bardanis patre defecerat [3]; quod anno V. C. 798. contigiſſe Tacitus ipſe teſtatur [4].

Ex hac perſpicua certaque temporum ſerie jam probe compertum exiſtimo quod Mithridates exeunte anno V. C. 794., vel ineunte 795. Armeniam occupavit, eodemque anno, ſive ſequentis initio Bardanes, qui morienti Artabano patri ſucceſſerat, Armeniam recuperaſſe ſtuduit, ſed a Vibio Legato prohibitus tres, ut videtur, integros annos tranquille paterno regno potitus eſt, ipſique demum a ſuis interempto circa annum V. C. 799. Gotarzes frater ſucceſſit. Certe Tacitus aſſerit Parthorum Legatos nimiam Gotarzis ſaevitiam exoſos anno V. C. 800. Romam veniſſe, ut in Gotarzis locum Meherdates a Caeſare mitteretur; ac Joſephus ait extincto Bardani Gotarzem ſucceſſiſſe, moxque ipſum a Parthis interemptum eſſe; ideoque Scriptor ille nihil de Artabani teſtamento memorans Gotarzem ſemel tantum poſt Bardanis mor-

1 *Libr. LX. pag. 670.* 2 *Joſeph. Antiq. Libr. XX. c. 2.* 3 *Annal. XI. c. 8.* 4 *Lib. VI. c. 40.*

mortem Parthico regno potitum eſſe demonſtrat, quamvis oppoſitum a Tacito memoretur. Joſephum tamen hac in parte Tacito praeferendum eſſe vix dubitem: non modo quod ille & antiquior, & coaevus, & Parthiae proximior fuerit; verum etiam quod, cum Helena Izatis mater, & Izates ipſe Judaicam religionem amplexus eſſet, Judaeoſque doctores in aula haberet, quaecumque ad Izatem, Artabanum, ejuſque filios ſpectabant, longe facilius, & accuratius Hieroſolymis, quam Romae, reſciri poterant.

Itaque, ut uno omnia verbo complectar, Artabani mors, & Bardanis initium anno V. C. 795., Bardanis interitus, & initum a Gotarze regnum anno 799., ejuſque mors anno 804. longe veriſimilius adſcribi debet.

Hinc corrigendus hic obiter Lipſius, qui in ſuis ad Tacitum commentariis ita Parthicorum regum ſtemma diſpoſuit, ut Artabanum, Bardanem, & Gotarzem fratres fuiſſe dixerit, cum tamen ex Taciti, & Joſephi hiſtoria, noſtroque etiam nummo perſpicuum ſit Bardanem, & Gotarzem Artabani filios fuiſſe.

Ceterum, ut ad Vaillantium, & Gotarzem noſtrum revertar, ex Taciti hiſtoria, & inſigni Gotarzis nummo facile apparet quod non modo Bardanes, ut diſerte teſtatur Tacitus, ſed etiam Gotarzes ipſe natu minor *primam intra juventam obiit*; quemadmodum ſane in juvenili Gotarzis vultu, qui in eximio nummo noſtro conſpicitur, perſpicue apparet. Itaque in digerendis Arſacidarum nummis hic, alibique ſaepius Vaillantius praeconceptae opinioni, genioque liberius indulſit, dum nummos illos Bardani, & Gotarzi adſcripſit, qui reges aetate jam graves exhibent, ideoque Bardani, & Gotarzi convenire certe non poſſunt. Ita quoque obſervandum quod in Bardanis nummo apud Vaillantium ſiniſtro humero characteres iſti inſcripti conſpiciuntur **ΚΥΔΙΠΠ**, iidemque prorſus in altero quoque nummo comparent, quem Vaillantius [1] Arſaci XI., vel *Sinatrucio* adſcripſit. Characteres autem illi, ſi quis conjecturis locus eſſe poteſt, ſive artificis *Cydippi* nomen, ſive quidvis aliud nobis ignotum ſignificent, unius ejuſdemque regis, ſive certe duorum regum nummis inſcripti cenſeri poterunt, qui ſibi proximi fuerint; cum tamen Bardanes anno V. C. 795., Sinatrucius anno V. C. 679. imperaverit. Ita quoque in Diſſertatione *de Minniſari nummo* nummos duos Arſaci I. a Vaillantio perperam tributos eſſe obſervavi, non modo quod

1 *Pag. 82.*

do quod Arſaces ille duobus ſolum annis, primoque defectionis tempore imperaverit, ideoque vix nummos cudere potuiſſe videatur, verum etiam quod Arſaces ipſe juvenis obierit, nummus autem ille, qui a Vaillantio profertur, ipſique tribuitur, virum aetate gravem partaque victoria inſignem exhibeat. Ita prorſus nummos duos, qui Arſaci II., vel Tiridati a Vaillantio tribuuntur, Arſaci III., ſive Artabano I. potius tribuendos putaverim, qui Tiridati ſuccedens 20. annis imperaſſe dicitur. Siquidem apud Liebe [1] nummus alius iiſdem prorſus ſimilis reperitur, in cujus adverſa parte characteres NA obſervantur, qui ſi Arſacidarum epocham, ut videtur, deſignent, nummum ipſum, alioſque ipſi ſimiles ad Arſacem III. referendos eſſe demonſtrant.

Hinc facile Triſtani, ac Vaillantii conjectura refelli poterit, qui Parthicam defectionem, aut Parthici regni initium *haud dubio* Gorpiaeo menſe contigiſſe putarunt. Siquidem, cum in uno Arſacis I. nummo legatur [2] Α. ΜΗΝΟΣ ΓΟΡΠΙΑΙΟΥ, in altero vero ΑΠΟ ΜΗΝΟΣ ΓΟΡΠΙΑΙΟΥ, hoc ad initi regni menſem ſpectaſſe putavit Vaillantius, cumque in Arſacis II., vel Tiridatis nummo habeatur ΥΠΕ ΥΠΕΡΒΕΡΕΤ, Vaillantius ait quod *cum Tiridates de Seleuco Callinico victoriam retuliſſet menſe, ut videtur, Hyperberetaeo.. non ſine cauſſa Tiridates menſem Hyperberetaeum anni primum eſſe voluit, cum Gorpiaeus eſſet anni ultimus, vel penultimus* [3]. At conjecturas illas, quae alioquin felices videri poterant, perſpicue refellunt eximii duo Vologeſis III., ſive potius, ut ego quidem exiſtimo, Vologeſis IV. nummi, quorum notitiam,& deſcriptionem Cl. Barthelemy mihi perhumaniter communicavit. Etenim in ipſorum uno, qui in ditiſſima Chriſtianiſſimi Regis Gaza reperitur, perſpicue legitur ΒΑCΙΛΕΩC ΒΑCΙΛΕΩΝ ΒΟΛΑΓΑCΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥC ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC ΔΞΥ, in imo ΑΠΕΛ... in altero vero, qui in Stoſchiano Muſeo exiſtit, habetur

ΒΑCΙΛΕωC ΒΑCΙΛΕωΝ ΑΡCΑΚΟΥ ΒΟΛΑΓΑCΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥC ΦΙΛΕΛΛΗΝ... ΑΞΥ. in imo ΔΙΟΥ

Quis hic aperte non videat *Apellaeum*, & *Dium* Macedonum, adeoque Parthorum etiam menſes memorari, neque tamen iis menſium nominibus aut initi regni tempus, aut partae victoriae menſem indicari: perinde quaſi Vologeſes aut duplex regni initium habuerit, aut duplicem victoriam retulerit, quae nulla prorſus ab illo parta memoratur? Nemo tamen a me curioſius inquirat

1 *Gotha nummar.* 2 *Pag.* 7. & 17. 3 *Pag.* 17.

quirat quid ejuſmodi menſium nominibus indicetur; utrum nempe anni tempus, quo cuſi nummi fuerint, aut publicos in uſus vulgari, valoremque ſortiri debuerint, aut quo annua tributa pendi conſueverint; praeſtat enim in re ſuboſcura, tantoque veterum Scriptorum ſilentio involuta nihil omnino conjicere, quam divinando aberrare; cum praeſertim in nullis aliis Arſacidarum nummis haec menſium nomina occurrant, atque in altero quoque Vologeſis ejuſdem nummo, qui eandem epocham 460. praefert, ideoque eodem anno, quo ſuperior, cuſus eſt, nullus omnino menſis inſcriptus ſit.

Illuſtrandae potius Bardanis regis hiſtoriae, praeſertim vero explicando Gotarzis nummo inſignem Tillemontii, Vaillantii, Olearii, aliorumque errorem hic proferam, ac plura Philoſtrati loca mire perplexa, nec ulli prorſus intellecta opportune explicabo. Narrat Philoſtratus Apollonium Tyaneum Bardanem Parthiae regem Babylone conveniſſe 26. menſe poſtquam ille regnum antea amiſſum receperat [1], atque cum illo 20. menſibus moratum eſſe [2]; & poſtquam apud Jarchum 4. menſibus aliis degiſſet [3], cum Phraate Indorum rege verſatus eſſet, ad mare rubrum, & Indi oſtia conceſſiſſet, iterum per Euphratem Babylona reverſum Bardanem ipſum iterum inviſiſſe [4], atque ab illo digreſſum tandem Antiochiam [5] rediiſſe. Elegans, & accuratus Philoſtrati interpres Olearius, cum ibi de Bardane Gotarzis fratre ſermonem eſſe putaret, in *Conſpectu Chronologico* Apollonii iter Babylonem in 3. Claudii Caeſaris anno, nimirum V. C. 795., ejuſque reditum Antiochiam in anno V. C. 800. collocavit; ideoque regnum a Bardane anno V. C. 793. recuperatum eſſe putavit. Vaillantius vero, cum Bardanis initium, ut antea vidimus, in anno V. C. 797. collocaſſet, Apollonii iter ad Bardanem in annum V. C. 799. referendum exiſtimavit.

Ego vero perſpicuis certiſque temporum characteribus oſtendi a me poſſe putaverim Apollonii iter ad annum V.C. 776., ideoque non ad Claudii Caeſaris, & Bardanis regis, ſed ad Tiberii Caeſaris, & Artabani regis tempora referri oportere. Ac primo quidem quod Apollonius iter ad Indos non Caii, aut Claudii, ſed Tiberii Caeſaris aetate ſuſceperit ex diſerto Philoſtrati loco deducitur, in quo Scriptor ille teſtatur [6] quod, ubi Apollonius Parthicum, vel Indicum iter aggreſſus Aſpendi degeret, ejus Urbis

1 *Lib. I. cap. 21. 28.*
2 *Lib. II. cap. 19. 40.*
3 *Lib. III. cap. 50.*
4 *Lib. III. cap. 58.*
5 *Lib. III. cap. 6.*
6 *Lib. I. cap. 15.*

bis Praeſidem liberavit, quem irata plebs rogo deſtinaverat, quamvis ille ad aſylum, hoc eſt *τοῖς βασιλείοις ἀνδριάσιν Imperatoris ſtatuas* confugiſſet, eaſque ſtatuas Tiberii Caeſaris fuiſſe dicit **Τιβερίου ὄντες**, additque *ἐφ' οὗ quo imperante* Tiberii ſtatuis, ac imaginibus longe gravius aſyli jus, quam Olympii Jovis ſtatuis, concedi conſueviſſe; quemadmodum prorſus a Suetonio [1], & Tacito [2] erudimur Tiberii ipſius aetate ſceleſtis omnibus impunitatem conceſſam eſſe *arrepta imagine Caeſaris*. Ergo Apollonius Tiberio adhuc ſuperſtite, ideoque ante Aprilem anni 789. iter ad Indos ſuſcepit. Huc accedit quod cum Apollonius a Bardane digreſſus ad Indos, ac Pori regionem adveniſſet, incolae ſubducto calculo teſtabantur a pugna inter Alexandrum, & Porum Indorum regem commiſſa ad ea uſque tempora 350. annos fluxiſſe *ξυνεβάλοντο δ' οἱ ἐπιχώριοι πεντήκοντα εἶναι καὶ τριακόσια ἔτη μετὰ τὴν μάχην* [3]. Itaque, cum praelium illud Hegemone Athenis Archonte, ut teſtatur Arrianus [4], hoc eſt anno V. C. 426. contigerit, Apollonii iter circa annum V. C. 776. contigiſſe debuit, ut a Pori pugna 350. anni numerari potuerint. Addi etiam poterit quod Apollonius ipſe ubi Indicum iter ſuſcepit adhuc juvenili, vel florenti aetate eſſe debuit. Diſceſſit enim [5] *προσήκειν φήσας νέῳ ἀνδρὶ ἀποδημεῖν τε καὶ ὑπερορίῳ αἱρεῖσθαι decere inquiens virum juvenem ad exteros abire, & in terra peregrina inclareſcere*, ſive, ut optime legendum conjecit Olearius, *καὶ ὑπερόριον γένεσθαι, & peregrinum fieri*. Ac certe Philoſtratus diſerte memorat [6] Apollonium 14. aetatis anno Tarſum veniſſe, ibique biennio ſubſtitiſſe; mox memorat Aegis increbeſcente ipſius fama omnes ad illum *ἐπὶ τὸν ἔφηβον* conveniſſe [7], eoque Aegis degente, Archelai Cappadocum regis ruinam contigiſſe, quae anno V. C. 770. certiſſime adſcribi debet; ſtatimque ſubdit Apollonium defuncto patre *viceſimo* aetatis anno [8] Antiochia digreſſum poſt *quinquennii* ſilentium, ac moram aliquandiu in Apollinis templo ductam Indicum iter ſuſcepiſſe. Itaque, ſi Apollonius, ut ex Suida, & Philoſtrato accurate oſtendit Olearius, *ἑκατοντούτης centenarius* Nervae temporibus anno V. C. 850. interiit, ideoque anno V. C. 750. in lucem editus fuit, anno V. C. 776., quo Indicum iter ſuſcepit, 27. circiter annos natus erat, ideoque adhuc *νέως ἀνὴρ* vocari poterat; ſin vero iter illud ad annum 795. cum Oleario, ſive 799. cum Vaillantio differatur, tunc Apollonius fere quinquagenarius hoc iter ſuſcepiſſet.

1 *Tiber. c. 58.*
2 *Annal. III. c. 36.*
3 *Lib. II. c. 12.*
4 *De exped. Alex. lib. V. p. 350.*
5 *Lib. I. c. 18.*
6 *Lib. I. c. 7.*
7 *Ibid. c. 8.*
8 *Ibi. c. 12. & 13.*
9 *Ibid. c. 14.*

ſet. Alter etiam temporis ejuſdem character ex alio Philoſtrati loco deduci poteſt, in quo teſtatur [1] Eretrienſes in Ciſſia regione ab Apollonio repertos eſſe, qui illuc ex Euboea a Dario rege *ἔτη ταῦτα πεντακόσια ante annos hoſce quingentos* miſſi fuerant. Itaque, cum Eretrienſes proximo poſt Marathoniam pugnam anno, ideſt V. C. 265. prius Suſa deducti, mox in Ciſſiam circa annum 267. tranſlati fuerint, ut ex Herodoto apparet [2], ſi quingenti anni elapſi jam fuerant, optime Apollonius ad ea loca circa annum 776. appuliſſe potuit, quo ab Eretrienſibus Ciſſiam tranſlatis 508. anni exacti fuiſſent.

Ergo jam nullus, opinor, dubitandi locus ſupererit quin Apollonii iter ad Indos, & Bardanem Parthiae regem circa annum V.C. 776., ideoque Tiberii Caeſaris, & Artabani regis aetate contigerit; ut mirari proinde ſubeat cur Tillemontius, Vaillantius, Olearius, ceterique Scriptores omnes *Bardanis* nomine decepti iter illud ad annum 795. vel etiam 799. temere revocaverint.

Ipſa quoque rerum ſeries, quae a Philoſtrato accurate, diſerteque exprimitur, perſpicue oſtendit hiſtoriam non ad Bardanem Gotarzis fratrem, & Artabani filium, ſed ad Artabanum ipſum referri. Aſſerit [3] enim quod rex ille *τὴν βασιλείαν ἀπολωλυῖαν αὐτῷ ἀνέλαβε regnum, quod amiſerat, recuperavit*; dicit Apollonio regem adeunte duos jam annos totidemque menſes *τῇ ἀνακτησέσῃ ἀρχῇ a recuperato regno* numeratos, idemque rex [4] *ἄρτι ἐς τὸ ἄρχειν ἥκων imperium nuper adeptus*, & *τὴν ἀρχὴν ἀπολωλυῖαν ποτ᾽ αὐτῷ νῦν ἀνακεκτημένος imperium aliquando ſibi ereptum nunc iterum adeptus appellatur*. Quis autem exiſtimet haec de Bardane Gotarzis fratre dici potuiſſe, qui nunquam regnum amiſit, aut illud ſibi ereptum recuperavit, ſed ex Joſepho quidem regnum, quod ſemel moriente patre ſuſcepit, nonniſi moriens amiſit; atque ex Tacito regnum ſibi poſt Gotarzem a Parthis delatum contra inanes Gotarzis conatus conſtanter ad mortem uſque conſervavit? Denique Bardanes a Philoſtrato memoratus Megabatem fratrem habuit [5], qui ſane inter plures alios Gotarzis fratres nullibi memoratur. Bardanes ipſe *quinque* ſaltem annis receptum regnum, ut ex accurato Olearii calculo apparet, pacate, juſteque obtinuit; Bardanes vero Gotarzis frater vix *quatuor* in imperio annos bellis, ac inſidiis jactatus egiſſe potuit. Haec ipſa vero a Philoſtrato memorata, quae Bardani repugnant, Artabano ejus patri pulcherrime conveniunt. Ille nimirum *C. Gallo, & M. Ser-*

1 *Lib. I. c. 23.* 2 *Lib. VI. c. 101. & 119.* 3 *Lib. I. c. 28.* 4 *Lib. I. c. 21.* 5 *Philoſtr. Lib. I. c. 31.*

M. Servilio Conſulibus, ideſt anno V. C. 788. tum a Parthis, qui Phraatem a Tiberio Roma expetiverant, tum a Vitellio Caeſaris Legato, qui Parthiam invaſerat, jactatus in Scythiam fugit, ejuſque regnum a Vitellio Tiridati conceſſum fuit [1]; quamvis eodem ipſo V. C. anno Tiberio adhuc ſuperſtite Artabanus a Parthis Tiridatem peroſis in Hyrcania quaeſitus, & *data fide reddendae dominationis* in Parthiam deductus, regnoque Tiridate pulſo reſtitutus fuerit, ut etiam Dio [2], & Joſephus [3] perſpicue diſerteque teſtantur. Quin etiam Joſephus [4] ipſe alibi memorat Artabanum paullo ante mortem populares inſidias veritum ad Izatem Adiabenorum regem confugiſſe, ejuſque ope imperium Cinnamo, qui regnum invaſerat, in ordinem redacto recuperaſſe. Hinc facile ſuſpicari quis poſſet hiſtoriam de amiſſo, ac recuperato regno, quae a Philoſtrato memoratur, ad annum ipſum V. C. 788., ſive 793. ſpectare, ideoque Apollonii iter ad annum 790., ſive 795. referendum eſſe, niſi perſpicui, certique temporum characteres ſuperius expreſſi manifeſte repugnarent, atque iter illud ab anno 776. dimoveri non poſſe demonſtrarent. Itaque tempus, ac infortunium aliud admitti debet, quo Artabanus ſive popularium inſidiis, ſive externo milite, ſive Germanici anno V. C. 772. in Armeniam irruentis metu amiſſum regnum anno V. C. 774. recuperaverit. Nulla quidem, ingenue, vereque fateor, ejus infortunii memoria apud Tacitum, & Joſephum occurrit; at Tacitus ipſe nihil omnino de Artabani ad Izatem fuga, regnoque tunc Izatis opibus recepto memorat; ut facile proinde uterque ex Scriptoribus illis brevius infortunium aliud, quod ipſi pridem contigerat, vel ignoraſſe, vel diſſimulaſſe potuerit, quod a Philoſtrato tamen conſtanter adeo diſerteque deſcribitur. Addi etiam poterit anno V. C. 774. graviſſimos tumultus a Judaeis Babyloniam, & Meſopotamiam incolentibus Aſinaeo duce excitatos eſſe [5], *ut Meſopotamia tota ab ipſius penderet nutibus*; ut facile proinde ſuſpicari quis poſſit Artabanum Babylonis imperio privatum, tandemque data Aſinaeo, & Anilaeo fratribus impunitate eo rurſus potitum fuiſſe. At in re dubia nihil temere definire nunc velim, hocque uno ſum contentus quod Apollonii iter in Parthiam Tiberii Caeſaris, & Artabani regis aetate an. V. C. 776. contigiſſe demonſtraverim.

Sed quid de Philoſtrato cenſendum erit, qui regem illum ab Apollonio in Parthia repertum nitide diſtincteque *Bardanem* appellat?

1 *Tac. Ann. VI.*
2 *Lib. LVIII. p. 637.*
3 *Lib. XVIII. c. 6.*
4 *Lib. XX. c. 2.*
5 *Joſeph. Lib. XVIII. c. 12.*

pellat? Num proclivem ſane errorem in Philoſtrati textum irrepſiſſe dicemus, ut proinde *Bardanis* loco *Artabani* nomen in Philoſtrati codice reſtitui debeat? At Philoſtratus ipſe *Bardanis* nomen non ſemel iterumque, ſed quinquies expreſſit; quodque gravius eſſe debet, Euſebius [1], qui Philoſtrati textum exſcripſit, non *Artabani*, ſed idem illud *Bardanis* nomen exhibuit. Num Philoſtratum ipſum in exprimendo regis nomine deceptum putabimus? At elegans, & accuratus Scriptor ille omnia ſe ex Maximi Aegienſis, & Damidis Ninii commentariis expreſſiſſe dicit [2], qui Apollonii comites in Bardanis aula verſati ſingula ab illo geſta, & dicta accuratiſſime deſcripſerunt, ideoque in regis nomine falli non poterant. Certe Euſebius Hiſtoriae, & Chronologiae parens, cui Parthiae regum nomina, & ſeries quam cui maxime perſpecta fuerat, ubi ſingulos Philoſtrati errores Hierocli objecit, ſi in regis nomine ab illo peccatum fortaſſe foret, hunc etiam errorem ipſi cum ceteris objeciſſet. Itaque, ſi Euſebius ipſe *Bardanis* nomen expreſſit, nullus aut in Philoſtrati textu, aut in ipſius hiſtoria error admitti poteſt; ideoque nullum omnino dubium ſupererit quin anno V. C. 776. *Bardanes* in Parthia, ac Babylone imperaverit: quamvis rex ille, qui in Parthia ipſa, ac etiam Babylone [3] tunc temporis imperabat, a Scriptoribus aliis optime accurateque *Artabanus* vocetur.

Quis nodum hunc dirimat, quave ratione diſſidentes adeo Scriptorum ſententiae componi poſſint? Non alia profecto, opinor, quam ſi regem illum binominem fuiſſe quis dicat, ut proinde & *Bardanis*, & *Artabani* nomine vocaretur. Liberius hoc ſane, temereque dictum videbitur; ſed tamen conjecturam hanc meam facile rationibus, & exemplis aliis ſuaderi poſſe confido. Sic, ut exemplum unum ex iiſdem illis temporibus, ac regionibus proferam, cum Germanicus, amoto Vonone, Armeniae regnum *Zenoni* Polemonis filio dediſſet, ipſique diadema impoſuiſſet, novus ille rex ab Armenis in Artaxiae primi Armeniae regis memoriam *Artaxiae* nomen obtinuit [4]; nulluſque dubito quin, ſi plura a Scriptoribus de hoc Zenone rege memorata forent, ab ipſorum aliquo *Zenonis*, ab alio *Artaxiae* nomine deſignatus eſſet, quemadmodum Vaillantius [5] ex Tacito [6] ait quod Artabanus Parthorum rex *defuncto rege Artaxia Arſacem liberorum ſuorum veterrimum Armeniae impoſuit*. Ita quoque perſpicuo Diodori [7] teſti-

 monio

1 *Adv. Hieroclem c. 11.*
2 *Lib. I. c. 19.*
3 *Joſeph. Lib. XVIII. c. 6. & 12.*
4 *Tacit. Annal. II. c. 56. 58.*
5 *Pag. 206.*
6 *Ann. VI.*
7 *Lib. XXXI.*

monio erudimur quod Cappadociae rex, qui Stratonicem Antiochi *Dei* filiam duxit, morienſque Ariarathi filio regnum anno V. C. 535. reliquit, *Ariarathes* vocabatur; & tamen Polybius [1] *Mithridatem* ipſum appellat; quemadmodum Diodorus ipſe obſervavit quod junioris Ariarathis filius ex Antiochide Antiochi Magni filia ſuſceptus initio *Mithridatis*, adultus vero *Ariarathis* nomen obtinuit. Atque ex hoc ipſo more fortaſſe repeti debet quod rex ille Sinatrucis ſucceſſor, qui a Phlegonte [2], & Appiano [3] *Phraates* vocatur, a Dione vel Xiphilino *Pacorus* appellatur; & rex alius, qui a Diodoro [4] *Mithridates* dicitur, a Memnone [5] *Ariobarzanes* nuncupatur, niſi in Dionis, & Memnonis textum error irrepſerit, quod in Philoſtrati loco admitti non poſſe jam vidimus. Quid ergo prohibet quin Artabanus ipſe cum ex Mediae Atropatiae regno ad Parthicum regnum tranſlatus fuit, veteri *Bardanis* nomini novum aliud *Artabani* nomen adjecerit in Artabani I., vel II. memoriam; cum praeſertim ipſe non paterna, ſed materna ſolum ſtirpe Arſacida foret [6], ac fortaſſe ab Artabano II. maternum genus duceret?

Si id ego rite conjecerim, non modo Philoſtratus cum Joſepho, Dione, Tacito optime conſpirabit; verum etiam Gotarzis nummus, quem illuſtrandum ſuſcepi, perſpicua nativaque ratione explicari jam poterit, ejuſque epigraphe ita efferetur ΒΑϹΙΛΕΥϹ ΓΟΤΗΡΖΗϹ ΒΑΡΔΑΝΟΥ ΥΙΟϹ ΚΑΙ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥ ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ *Rex Gotarzes Bardanis filius vocati etiam Artabani*.


Id vero facilius, ac veriſimilius etiam ſuaderi poterit, ſi Gotarzis nummus in Media Atropatia cuſus dicatur, quod ſigla A, quae in Bardanis etiam, ac deinde Vologeſis nummis conſpicitur [7], ipſi inſcripta ſubindicat. Ita nimirum Gotarzes Bardanis nomen expreſſiſſet, quo ipſius pater in Atropatia pridem imperans vocabatur, ac alterum quoque paternum nomen adjeciſſet, quod ille mox una cum Parthiae regno obtinuit.

Atque iſta quidem, Paciaudi Clariſſime, de ſingulari prorſus, & eximio Gotarzis regis nummo dicta ſint, qui pluribus ſane de cauſſis, ſed ea potiſſimum inſignis, nobiſque cariſſimus eſſe debet quod duo, ſive potius, ut arbitror, tria Parthiae regum diſtincta nomina exhibeat; quamvis in Parthicis nummis aliis, ut initio jam dixeram, haec peculiaria regum nomina rariſſima occurrant.

Quid

1 *Lib. V. pag. 540.*
2 *Ap. Phot. cod. 97. lib. XVIII. c. 3.*
3 *Vid Vaill.*
4 *Libr. XX.*
5 *Excerpt. c. 25.*
6 *Tac. Ann. VI.*
7 *Vaill. pag. 234. 347.*

Quid vero ſi & Parthicum nummum alium regis alterius nomine inſignem coronidis loco nunc proſeram , ſimulque Dionis, aliorumque hiſtoriam confirmem ? Cl. Froelichius in eo Libello , quem mihi nuperrime communicaſti , *nova* nimirum *ad numiſmata regum veterum anecdota , aut rariora acceſſione* , inter incognitos, aut rariores nummos , quos illuſtrandos ſuſcepit , Parthici regis ex Arſacidarum ſtirpe nummum exhibet [1] , qui Venetiis in praedivite Excellentiſſimi Marchionis Antonii Savorgnani muſeo reperitur , qui veterum numiſmatum cognitione, & amore merito commendatur . Nummus ille a doctiſſimo Froelichio ita deſcribitur :
,, Protome regis, barbato vultu adverſo,diademato capite , candy
,, tecta ,, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ .... ΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ
,, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ *Regis Magni (Arſacis ....) Eu-*
,, (vel) *Theo-* (vel) *Philopatoris , Benefici , illuſtris,Graecorum amici.*
,, Parthus ſedens , dextra arcum, infra quem monogramma, qua-
,, ſi M. ,, Cl.autem Editor ingenue, modeſteque fatetur ſe *ignorare ad quemnam Arſacem referendus ſit hic nummus epocha deſtitutus* . Mihi vero vehemens ſuſpicio vel conjectura ex primo nummi adſpectu repente ſuborta fuit quod , ſi epigraphe nummo inſculpta accuratius legatur , quam Froelichius praeſtiterit, ille non ad alium , quam ad *Parthamaſpatem* Parthiae regem , referri facile poſſit . Etenim Froelichius non modo voculam ΚΑΙ , quae in dextera areae parte ante vocem aliam ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ initio verſus occurrit , incaute omiſit ; verum etiam in exeſo verſu .. ΠΑΤΟΡΟΣ legit , cum tamen in ipſo quoque nummi iconiſmo perſpicue diſerteque legatur .. ΠΑΤΟΥΣΗ eo verſuum ordine , & ſitu , quem nummi faciem aemulatus hic exprimendum curavi .



Itaque , ſi in ſiniſtra nummi parte , quae extrita jam fuit , atque ob aream extenſo arcu replatam unicum verſum continebat , regis nomen reſtitui debet , quod integram partem ipſam , & inferioris etiam partis initium occuparet , quodnam nomen concinnius , ac veriſimilius effingi , ſive reſtitui ibi poteſt , quam

[1] Pag. 73.

ΠΑΡΘΑΜΑΣΠΑΤΟΥ, ut priores nempe litterae ΠΑΡΘΑΜΑ in ſiniſtra, poſtremae vero ΣΠΑΤΟΥ in inferiori ſculptae fuerint? Certe in quibuſdam Vologeſis nummis, omiſſo communi *Arſacis* nomine peculiare ſolum ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ nomen occurrit, atque in omnibus fere Parthicis nummis in eadem areae parte, in quam arcus protenditur, unicus verſus exaratus conſpicitur, ut proinde facile hic quoque verſus unicus, unicumque nomen admitti poſſit. Si cui tamen duos hic verſus ſupponere libeat, tunc in extimo ΑΡΣΑΚΟΥ, in interiori ΠΑΡΘΑΜΑ legendum erit, ut in extimi alterius finitimique verſus initio ΣΠΑΤΟΥ exaratum reperiatur. Nihil eſt autem quod importunius hic opponatur in ejuſdem verſus fine poſt ΠΑΤΟΥ characteres alios ΣΗ, ſi rite illos expreſſit Froelichius, reperiri. Siquidem fortaſſe ΠΑΡΘΑΜΑΣΠΑΤΟΥΣ ΗΥΕΡΓΕΤΟΥ legi poſſet; vel character Η prave expreſſus, & in Σ refingendus erit, ut ille alterius finitimaeque vocis poſtremus eſſe poſſit. Fortaſſe quoque character ille redundat, atque ab imperito artifice temere adjectus fuit, ſicuti ſimili prorſus errore in Phraatis I. nummo reperitur ΑΡΣΑΧΟΥΗ, in Phraatis IV. ſive Arſacis XV. nummo tranſpoſitis inverſiſque litteris habetur ΜΕΓVVΛΟ, ut plurimos errores alios in Parthicis nummis obvios omittam; ut proinde Froelichius ipſe characterem hunc Η veluti temere adjectum prorſus contempſerit. Illud unum certo conſtitui poterit quod hic . . ΠΑΤΟΡΟΣ cum Froelichio legi non poteſt, longeque veriſimilius laciniae ille . . ΠΑΤΟΥ ſive ΠΑΤΟΥΣ proprium regis nomen exhibent; cumque in Parthicorum regum ſerie *Parthamaſpates* occurrat, nummus ipſe Parthamaſpati facile adſcribendus erit.

Quod vero Parthamaſpates ipſe aliquando in Parthia imperaverit ipſe quoque in priori *Diſſertatione de Minniſari regis nummo* perſpicuis Veterum teſtimoniis oſtendi, idque in ſecunda Trajani expeditione anno, nimirum V. C. 867. contigiſſe obſervavi. Siquidem Trajanus, qui in prima expeditione, vel anno V. C. 859. Parthicum regnum Choſroi confirmaverat, anno 868., in Orientem reverſus, cum Choſroes ipſe aut a Parthis expulſus foret, aut fidem Trajano obſtrictam violaſſet, occupata jam Cteſiphonte regia Parthorum urbe [1], *Parthicus* iterum a militibus appellatus eſt, ad ultimas Orientis plagas penetravit, indeque reverſus cum Arabas, atque Armenios aliquid adverſus Romanos moliri deprehendiſſet, φοβηθεὶς μὴ καὶ οἱ Πάρθοι τι νεοχμώσιν, βασιλέα

1 *Dio Lib. LXVIII.*

λέα ἀυτοῖς δῦναι ἐπέλησε timens ne Parthi quoque aliquid novi molirentur, proprium Regem illis dare decrevit. Hinc Cteſiphontem rediens Exedaris filium Parthis Regem impoſuit, quem Dio *Parthamaſpatem*, Spartianus *Pſamatoſſirim*, Malela [1] *Parathemaſphatem* appellat; adeoque tunc primum in Trajani nummis, in quibus is *Conſul VI.*, & *Parthicus* appellatur, *Parthia capta* [2], & *Rex Parthus* [3], & *Rex Parthis datus* [4] memoratur. Quandoquidem vero deinde Parthi Parthamaſpatem deteſtati regi ſuis moribus coeperunt [5], Hadrianus Trajani ſucceſſor *Pſamatoſſirim, quem Trajanus Parthis Regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis Gentibus Regem dedit* [6], Armeniis nimirum, qui in Exedaris ejus patris defuncti locum eum petebant. Itaque Parthamaſpatis initium ad annum V. C. 868. referri debet, & Armeniae regnum ab illo circa annum V. C. 876. ſuſceptum fuit, ut proinde Froelichii nummus circa annum V. C. 870. cuſus cenſeri poſſit. Haec omnia tamen veriſimili ſolum conjecturae innixus, mihique ipſi diffidens expoſui; nulluſque dubito quin Cl. Froelichius ſaltem nummi epigraphem accuratius a me expreſſam fuiſſe agnoſcat, ibique potius ΠΑΡΘΑΜΑΣΠΑΤΟΥ, quam ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, ſcriptum concedat.

Quod vero de *Adinnigai*, de *Sami*, de *Xerſis* nummo, Vir optime, atque amiciſſime, me percontaris, fuſius, & accuratius in ea Diſſertatione, quae modo prodiit, omnia perſpicies, ſimulque, ut opinor, intelliges nihil eſſe cur *Adinnigai* potius, quam *Minniſari* nomen edito a me nummo inſcriptum dicatur. Illud unum addidiſſe nunc libet quod cum doctiſſimus atque humaniſſimus Praeſul Nicolaus Antonellus S. Jacobi Niſibenae urbis in Armenia Epiſcopi Opera uberrimis notis miraque eruditione a ſe illuſtrata dono mihi dediſſet, aliqua in iis jucundiſſime offendi, quibus Minniſari noſtri nomen, ac regnum illuſtrari poſſit. Siquidem in Armeni Menologii parte, quae S. Jacobi Vitae praefixa conſpicitur, fuſe narratur [7] quod tempore Choſrois Armeniae Regis, qui Tiridati patri anno Chriſti 337. ſucceſſit, *Manazirus* Princeps Reſtuniorum una cum Sapore Perſarum rege Niſibim obſedit, plurimoſque Chriſtifideles vexavit. Idem etiam a Moſe Cheronenſi Libro III. c. 7. Armenae Hiſtoriae narratur [8], ac *Manazirus* ille veluti *auſtralis Armeniorum partis* dominus indicatur.

His

1 *Lib XI.*
2 *Geſn. Tab. LXXV. num. 50.*
3 *Vaill. Tom. I. pag. 50., & II. pag. 922.*
4 *Geſn. Tab. LXXV. num. 13.*
5 *Dio lib. LXIX.*
6 *Spartian.*
7 *Pag. XXXVII.*
8 *Pag. XXXIX.*

His teſtimoniis perſpicuè apparet quod *Manìſari*, *Minniſari*, vel *Manaziri*, ſive *Manaſiri* nomen apud Armenos uſitatum fuit, quod de *Adinnigai* nomine oſtendi ſane non poteſt; nec immerito fortaſſe ſuſpicari quis poterit quod *Manazirus* iſte, qui anno Chriſti 338. ſive V. C. 1090. in auſtrali Armeniae parte imperavit, ex ejus Minniſari gente fuerit, qui Trajani Caeſaris aetate ante ducentos annos in aliqua Armeniae parte regnum obtinuit. Quaecumque vero de Comoſici, de ΒΑΛΑΝΟΥ *Balaei*, ſive potius, ut certo legendum aſſero, ΒΑΛΛΑΙΟΥ *Ballaei* nummo obſervavi, ubi primum nummus ille a Cl. Paſſerio editus fuit, alterius temporis, ac loci eſſe debent.

Romæ Kal. April. anno MDCCLVII.

FINIS